Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1229
Quelle:
Copyright:

cuius distinctionem in modum arboris ramificate sic depingo. Atque non hic tantum, sed pluribus locis Schemata synoptica concinne facta ad margines inferiores videntur. Autorem e tanta Commentatorum turba secernere nec facile, nec adeo operae pretium foret; antiquioribus tamen adnumerandus est.

DXXXVI.

U. 308 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 264. f. per duas columnas non una quidem manu, nitide tamen perscriptus et rubricis distinctus, quondamque, ut Theca praefert, *M. Sigismundi Obrecht de lengenfeld* Eadem continet, quae superior, et *Lectura* quidem in I. incipit: *Quatuor libris Sententiarum premittit Magister prologum quendam cuius exposicio simul et construccio sequitur in hunc modum* &c. Praeeunt vero etiam Quaestiones prooemiales, puta: *Vtrum per studium in Theologia acquiratur scientia proprie dicta. Vtrum Theologia sit scientia practica uel speculatiua.* &c. Ad calcem L. I. adest Elenchus Tractatorum, quem continuo excipiunt Tractanda in L. II. hac Rubrica: *Nota Registrum in questiones actitatas super 2°. sententiarum sicut communiter solent legi a sententiarijs studij Wiennen.* Ad Academiam igitur nostram haec Commentaria pertinent, quorum altera Pars incipit: *Circa distinctionem primam huius secundi Queritur Vtrum sicut in temporis initio Deus fecit mundum ex nichilo* &c.

II. *fol.* 157. ab alia deinceps manu succedit *Tabula* illa jam alias producta in D. *Thomae* Opera hic quidem hoc Rubro: *Quomodo directorium sequens seu tabula intelligi debeat ad libros S. thome.*

III. *fol.* 253 *Incipiunt Auctoritates sanctorum patrum ac doctorum.* Συλλογη temere lecta e *Gregorio*, *Bernhardo*, *Augustino*, *Ambrosio*, *Isidoro*, *Hieronymo*, *Caesario*, *Prospero*, *Leone*, *Anselmo*, *Job. Chrysostomo*, *Prudentio*, *Cypriano*, *Hugone de S. Vict.* *Basilio*, *Beda*, quos inter et *Cicero.*

IV. *fol.* 256. p. 2. *Incipiunt exposiciones rarorum vocabulorum.* E Bibliis et PP. potissimum carpta, nullo ordine, non pauca ἄλογα, quaedam etiam germanice reddita, v. g. Caristica *Zunter.* Coturnix *repben.* Cancon *schreibzeug.* Cornus *akczpaum.* Papilio *veiualter* &c.

V. *fol.* 262. *Incipiunt synonima vnum et idem significantia.* V. g. *Auxiliari*, *Adiuuare*, *Suffragari*, *Succurrere*, *Subvenire*, *Amminiculari*, *Propiciare*, *Opitulare.* Misera sane Linguae latinae Tironibus *Auxilia!*

DXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 310 Folior. 225. f. praeter multa inserta foliola, commode perscriptus et rubricis distinctus est *Commentarius* scholasticus *in II. et III.*